

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Rector Academiæ Lipsiensis Ad Festivitatem Pentecostes,  
Solenni Ritu, In Templo Academico Celebrandam, Utriusqve  
Reipublicæ Proceres Et Cives ...**

**Fleischer, Christoph**

**[Leipzig], [1706?]**

**VD18 90816854**

## Abschnitt

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



*D. Reichenberg*

E divinis fidei mysteriis, quæ Christianis ad salutem cognitu necessaria sunt, non ita pridem, in duorum solennium festorum celebratione, quædam ad fidem & spem nostram, quam in Christo habemus, corroborandam disseruimus. Jam sanctum Pentecostes festum nos commonet, ut quæ in illo τὰ μεγάλεια τῷ Θεῷ manifestata sunt, attendamus, prædicemus, divinamque munificentiam erga mortales inde cognoscamus atque debitibus extollamus laudibus. Illa autem velut in compendio historia divini scriptoris Lucæ Act. II pandit. Cum enim Apostoli die maxime solenni, uno in loco congregati essent, ut unum omnium illorum munus, eundem Spiritum eandemque fidem esse constaret, Spiritus S. super illos plane miraculoſo modo, juxta promissionem DEi per Prophetas ante factam effusus est, spectantibus & admirantibus hæc DEi magnalia multis, quæ præsentes tumerant, gentibus, ut tanti miraculi gloria fieret illuftrior atque ad populos emanaret peregrinos, quos Domini sui jussu, Apostoli ceu Evangelii præcones publici adire debebant. Multæ hujus miraculi partes sunt, quas laudatus Evangelista recenset; sed chartæ hujus angustia non capit, ut eas partitim dilucidemus. Summa igitur tantum illarum capita attingemus.

A 2

Pri-

Primum est, quod Deo, venti Symbolo ad manifestandam Spiritus S. effusionem & præsentiam uti placuerit; cum repente sonitus e cœlo tanquam ruentis fatus vehementis existeret, totamque domum, ubi Apostoli confederant, impleret. Tali enim Symbolo Spiritus S. præsentia & occulta sensibus operatio, in divinis literis adumbrari solet, (Joh. III, 18. XX, 22.) Ignis etiam, cuius mentio fit figura, ejusdem virtutis in animis hominum efficacis signum est, Luc. III, 6. Quia ille animos illuminat, purgat atque incendit fidem. Hinc Apostolorum linguæ dispertitæ instar ignis visæ sunt, flammulas forte ignis in forma pyramidalis repræsentantes. Sed majus singularis præsentia Spiritus S. τεκμηρίον illico adparuit; quando Apostoli intus agitante hoc Spiritu, aliis linguis, quarum ante rudes fuerant, loqui cœpissent. Quod miraculum quidam cum Desid. Erasmo minuere, ausi sunt, existimantes & contendentes, istud non in Apostolorum linguis, sed in auditorum linguis diversorum auribus contigisse. Quia, ut Erasmus opinatur, sermo Apostolorum fuisset *impositus*, *inconditus*, etiam *imperfectus*, *perturbatus* & *aliquoties sollicitans*; adeoque Spiritui S. non posse tribui. Enimvero profana hæc Erasmi sententia, a Beza multisque aliis Theologis dum confutata fuit, cum a blasphemia in Spiritum S. cuius afflatus & instinctu Apostoli locuti sunt omnes, parum abesse videatur. Liberum quippe fuit sapientissimo dicendi Magistro, in unaquaque lingua, vel grande & sublime, vel humile dicendi genus Apostolis θεοπνεύσοις communicare. Nam scopus illius non fuit, profanas auditorum aut lectorum verbi sui aures mellitis verborum globulis aut politis linguarum formulis demulcere; sed verbi sui penetrante efficacia omnium animos illuminare atque expugnare; ut ad DEum per Evangelii præconium converterentur, (I. Cor. I, 18. seqq. c. II, 1.) Major ergo nobis hic est divini testis Lucæ autoritas, quam Erasmi. Is enim (Act. II, 4. 6. 8. 12.) dixerit

ferte affirmat, peregrinos etiam Apostolorum auditores, quos com-  
memorat, obstupuisse; quod illorum quisque lingua, in qua nati  
essent, Apostolos audierint loquentes & intellexerint. Et nemo  
sane vel ex S. literis vel temporum istorum annalibus probarit;  
quod Apostoli subinde una tantum lingua utentes, ab auditori-  
bus diversarum gentium & linguarum intellecti sint. Nemo in-  
terim ausit determinare, quot linguas singulis Apostolis, in illo  
Pentecostes festo, Spiritus S. inspiraverit memoriaeque illorum  
impresserit. Etsi Ambrosius existimat, cum ad omnes gentes  
æternorum mysteriorum isti præcones essent designati, omnium  
totius orbis linguarum notitiam quoque consecutos esse. No-  
vam præterea etiam Cl. Salmasii opinionem rejicimus, qui donum  
illud linguarum non ultra unum tantum diem durasse, & Aposto-  
los postea interpretibus apud gentes usos esse, quæ opinio etiam  
Erasmi fuit. Nam si ex Christi promissione (Joh. XIV, 17. XV, 26.  
Act. I, 8.) Spiritus S. apud Apostolos mansit, & intra eos fuit; o-  
mnino verisimile est, eos donum linguarum per miraculum sibi  
communicatum etiam retinuisse: præsertim cum eodem in præ-  
dicatione Evangelii apud gentes lingua diversas opus esset.

Praeter vero hoc memoratum jam insigne DEi donum, aliis  
iisque sublimibus donis sapientiae per S. enthusiasmum Apostoli  
dotati fuerunt. Quia Luca teste, (Act. II, 4.) omnes Spiritu S.  
repleti sunt: ut eo agitante in voces & laudes magna contentio-  
ne eruperint, DEique magnalia & beneficia a CHRISTO nobis  
parta diversis linguis prædicarint. Horum enim uberiorem co-  
gnitionem ex immediata Spiritus S. illuminatione & suggestione  
perceperunt (Act. I, 7. Ephes. III, 5.) Diversa heic quidem Judi-  
cia auditorum & spectatorum hujus miraculi a Luca memoran-  
tur. Nonnullos enim sacer quidam stupor occupavit; alii vero  
*χλευαζοντες*, hunc Spiritus S. enthusiasmum fannis atque convi-  
tiis exceperunt. Quos empæctas tamen D. Petrus in publico cœ-

tu gravissima oratione apologetica, cum ignorantiae tum malitia convicit, demonstrando enthusiasmum hunc suum fuisse a Spiritu S. adeoque divinum. Nam triplex in S. literis & historia occurrit enthusiasmus: unus, est *divinus*, alter *naturalis*, tertius *præternaturalis* vel *diabolicus*. Inde enthusiasmus a causa, unde afflatus provenit, nomen sortitur diversum; ita, ut qui divinus audit, (Suida in Lexico explicante,) ὑπὸ ἐνθέες πνεύματος <sup>τρι</sup> *naturæ* θεοῦ, idem sit, ac a *divino Spiritu occupari*; vel ut Hesychius eum describit, quando tota anima ἐλάμπεται ὑπὸ τῷ Θεῷ, a *D eo* illuminatur. Hinc Propheta & Apostoli *ἐνθεοί*, *θεῖοι*, *D eo pleni*, *divini*: item *θεοφόρουμενοι*, *ἐνθυσιῶτες*, *Numine divino afflati*, vocantur. Quia per hunc mens hominis a Spiritu S. illuminatur, ut res divinas & mysteria manifestata percipiat, intelligat ac eloqui possit. Atque hoc enthusiasmo in V. T. Prophetas, & in Novo, Apostolos gavisos esse, inter Christianos satis notum est, & ex historia effusionis Spiritus S. quam Lucas describit, & Petrus ex Iohanne probat, ulterius confirmari potest. *Naturalis* autem enthusiasmus a caussis naturalibus aut *præternaturalibus* provenit: ut sunt sublime hominis ingenium contemplativum, aut temperamentum melancholicum, quale nonnullis philosophis & poëtis contigit, qui vates ideo appellari solent. Accidit tamen quandoque talis enthusiasmus aut furor morbo laborantibus, in quibus phantasia ex intemperie temperamenti, aut nimio caloris æstu turbata vel corrupta fuit: qui *ἐθεσιάζοντες* aut *μανιαν ἔχοντες* dicuntur, variaque fingere, aut vaticinari futura solent, quæ mira multis videntur. Horum in historia naturali & medica exempla non raro occurunt. *Diabolicus* autem enthusiasmus *præternaturalis* est, quo *D eo* permittente, Diabolus mentes hominum occupat, iisque mirabiles rerum ideas inprimit, quas illo inspirante & agitante, deinde sermone saepè exoticō produnt; ut vaticinari videantur imperitis. Miror hujus enthusiasmi effectus aut

aut Iusus historia passim memorat, quos hic recensere nimis prolixum foret. De divino enim Apostolorum entusiasmo pauca tantum dicere volui, qui toto genere ab aliis dictis jam speciebus differt; ac adeo etiam caute, quando de entusiastis sermo est, discernendus venit. Ne cum profanis hominibus aut empæctis, omnis entusiasmus promiscue vel Diabolo vel corruptæ phansiæ aut temperamento hominis tribuatur, aut pro deriramento habeatur. Quod esset divinam θεόπνευστην, qua Moses, qua Prophetæ, qua Apostoli gavisi sunt, deridere aut negare. Evidem divinus ille entusiasmus a Spiritu S. immediate proveniens, quippe qui charisma Prophetarum & Apostolorum extraordinarium fuit, post illorum ætatem cessavit, & quæ ejus in historia ecclesiastica memorantur exempla, rariora sunt. interim vero Spiritus S. per verbum suum nobis in S. scriptura revelatum, devote illud tractantibus ac meditantibus, veros rerum divinarum conceptus & sensus salutares suggerere haut desit. Quæ suggestio etiam entusiasmus divinus vocari potest. Quem enim in finem alias verbi divini præcones & doctores in tractatione S. Scripturæ, lumen ejus ductumque publice expetunt; aut cur multi doctores, qui supra carnalem irregenitorum pseudorthodoxiam sapiunt, εὐθεοί vocantur; nisi quod divinorum conceptuum entusiasmum mediante verbo expetant, & quod illorum scripta Spiritus S. afflatum spirent? contra vero sola scientia & eruditio humana inflatorum doctrina frigida est, nec animos hominum ita penetrat, ut eorum doctrina, qui ex DEo nati, aca Spiritu S. per verbum illuminati sunt. Qui vero carnali sapientia tument aut Scholasticam tantum orthodoxiam crepant, aut speculationes carnis & somnia ψευδωνύμων γνώσεως jactant, illos entusiasmus Papalis occupavit, quem Lutherus noster in *Articulis Smalcaldicis* (parte III. aphor. 8. p. 332. edit. Lips.) describit, & pag. sequ. 333 proscribit: cum ille, ut furor entusias-  
ticus

sticus Anabaptistarum, a maligno Spiritu, Diabolo & carne profiscatur. Ab hoc autem omnes sibi caveant, qui Spiritus S. & Christi participes fieri, ejusque virtutem persentiscere divinam cupiunt. Sanctus enim Spiritus impura hominum corda & vana scientia inflatorum animos nec intrat nec eosdem illuminat, ut Christum vera fide amplecti, eidem vivere, ac salvi fieri queant. Quia Spiritus Christi est Spiritus Sanctitatis ac puritatis, qui omnem vitiorum animi foetorem abominatur. Hac de causa etiam inter alias, quas adduxit rationes, Juvenis eximus & præstantissimus CHRISTOPHORVS LUDOVICVS STIEGLIZ, Lipsiensis, Philosoph. & B.A.Baccalaureus necnon Theologie Studiosus industrius, cras DEo dante, hora XII. ductu Scripturæ S. de columba, Spiritus S. Symbolo, verba ex umbone templi Paulini facere instituit: ut de Ejus persona, officio & beneficiis ultiore meditandi ansam piis atque benevolis auditoribus præbeat. Quapropter VOS, VTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES AC CIVES HONORATISSIMI, ea, qua decet, humanitate rogamus atque commoneamus, dignemini laudato Stieglizio favere, eumque per breve temporis spatum peroraturum benevole auscultare.

P. P. Lipsiae d. XXII. Maj. A. CHR.

M DCC VI.

---

Literis CHRISTOPH. FLEISCHERI.